



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 117. Galliarum Rex Nancæo Catalaunum profectus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. jubentur Abbates, atque Priores, ut
 A. C. 1445 omnes suos subditos frequenter convo-
 cent, & absentes singulis diebus Mercu-
 rii quatuor temporum congregent, nec
 non eisdem regulam, quam profitentur,
 extensius dilucident. XXXVII. monen-
 tur etiam, ut subditos suos ad omnia in
 eorum regula contenta fideliter obser-
 vanda persæpe exhortentur. XXXVIII.
 eis injungitur, ut sua capitula juxta eo-
 rum regulam celebrent. XXXIX. Visita-
 toribus, atque Provincialibus ea, quæ
 muneris sui sunt, præscribuntur. XL.
 agitur de supplenda Prælatorum negli-
 gentia. Tandem in quadragesimo primo
 statuto monentur fideles, ut pro pace &
 unione Christianorum Principum instan-
 ter Deum exorare velint.

§. CXVII.

*Rex Franciæ Nancæo Catalaunum
 profectus.*

*Jo. Chart.
 Histor. Ca-
 roli VII.*

Carolus VII. Galliarum Rex, Nancæo
 relicto Catalaunum contendit, ubi
 satis longam traxerat moram, diversas
 dijudicaturus caussas. Convenerat ibi
 Regem Burgundiæ Duciffa, litem, quæ
 inter Maritum suum, & Siciliæ Regem
 exorta erat, motura. Hæc non solum
 quasdam urbes, quas Dux occupabat,
 sed etiam redemptionis pretium, quod
 Rena-

Renatus Andegavensis Duci persolvere pollicitus fuerat, repetiit. Rem composuit Carolus VII. Ducissæ præcipiens, ut Renato Siciliae Regi Novum-castrum, & Claromontium in Argonnia restitueret, eidemque lytrum remitteret, ea tamen lege, ut Renatus Valcassaliam in Flandria Burgundiæ Duci cederet. Habebatur quoque mentio Atrebatensis tractatus, cujus quosdam articulos utrinque violatos fuisse proponebatur. Decisa etiam fuit causa Armeniaci Comitis, qui in Insula Jordani captivus detinebatur; hujus enim Delegati Catalauni existentes, cum Comiti non solum bonorum suorum proscriptionem, sed forte ipsius quoque capitis pœnam imminere intelligerent, implorata Regis clementia, Domino suo veniam dari enixe rogarunt. Rex eorum precibus expugnatus, adhibitis omnibus securitatis necessariæ cautelis, eundem pristinae bonorum suorum possessioni restituit, ac in gratiam recepit.

Sæcul. XV.
A. C. 1445.

§. CXVIII.

*Mors Margaritæ de Scotia Gal-
liarum Delphinæ.*

Cum Rex Catalauni ageret, Delphina Margarita de Scotia, Jacobi I. natu major filia, ingenti totius aulæ luctu vivis erepta est, ac persolutis de more ju-